

duloso-pilosa. Receptaculi setae pauciores involucre multo breviores vix 3 lineas excudentes, nec illum aequantes vel superantes ( $4\frac{1}{2}$  lin. long.) ut in *Pt. bifida*, albae nec fuscescenti-sordidae, ut in illa, multo tenuiores. Achenia omnia aequalia, recta, 3 lineas longa, fulvescentia, decem-costata, costis etiam sub lente aspectis laevibus nec nisi sub microscopio valde auctis asperulis; pappus  $2\frac{1}{2}$  lineas longus. Contra vero in *Pt. bifida* achenia exteriora (in forma taurico-caucasica plura, nonnulla calva, in forma wolgensi pauciora, semper papposa) albida; saepe abortiva, facie interiore planiuscula tricostata; sequentia fusca seriatim obtuse muriculata, asperrima, intima fulvescentia, 10-costata, costis laevibus, omnia multo breviora ac in nostra specie; 2 lineas tantum longa, pappum aequantia.

Ab hac specie distincta planta, sine dubio ejusdem generis, cujus specimina tria tantum a Lehmanno collecta sunt; duo: zwischen Malibasch und dem Aigirak-See 15. Mai, tertium: am Kuwan-Darja 7. Mai 1842; nimis tamen juvenilia, prima capitula tantum expandentia, ita ut acheniorum conformatio haud dignoscenda. Habitus omnino idem, folia acute dentata, dentibus tamen angustioribus, scapus 3—7-cephalus, 6—10 pollices altus. Involuci foliola interiora numerosiora sub 15, hirsuta. Ligulae numerosiores, multo longiores, involucrum plus duplo superantes, apice profunde 5 fidae. Antherarum tubus aurantiacus. (*Pterotheca macrantha* Bge.).

#### *Barkhausiae Sect. V. Heteroderis.*

*Achenia* *radii* in rostrum breve attenuata, costata, laevia, parce papposa, disci costata, muriculata, longe rostrata. *Involuci* *squamae* *exteriores* *patulae* *cordatae* vel *ovatae*, *herbaceae* vel *margine late membranaceae*. *Herbae annuae*, *pumilae*. Ab *Anisodera* differt praesertim squamis involuci exterioribus latis nec linearis - subulatis.

#### 823. *Barkhausia chaetocephala* Bge.

*B.* (*Heteroderis*) caule erecto superne pedunculisque incanis patuloque hirtis, foliis plerisque radicalibus obovato-oblongis subruncinato-pinnatifidis; lobis triangularibus acute cartilagineo-dentatis, primariis subglabris caeteris ad costam medium subtus hirtis, subfloralibus linearibus integerrimis marginé membranaceis, squamis involuci exterioribus cordato-ovatis acutiusculis glabris late membranaceo marginatis, interioribus 8 carinatis dense longeque setoso-hirsutissimis, acheniis . . .?

Hab. Zwischen Agatme und Karagata 14. April 1842 (specimina duo vix florentia).

Sequentibus binis evidenter affinis, at involuci squamis interioribus, excepto margine angusto, fere ex toto setis longis densis vestitis facile distinguenda.

Radix annua simplex. Caulis vixdum florens bipinnicaris erectus demum ramosus, teres, pube brevi densa canescens, setisque elongatis patentissimis hirtus. Folia cotyledonaria minuta, mox marcescentia; primaria obovata 4—8 lineas longa, ad summum tres lineas lata, obtusa, acute angulato-dentata, omnino glabra; caetera fere omnia subradicalia ad summum  $1\frac{3}{4}$  pollices longa, supra medium pollicem dimidium lata,